

CCXIII.

Anno 1680. die 27. Aprilis. Viennae.

Leopoldus Rex SS. et OO. hortatur, ut quo majore numero contra Turcas insurgant seseque copiis belliducis Leslie adjungant.

Leopoldus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles item ac Magnifici, nec non Egregii et Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Durantibus adhuc imo ingravescentibus magis Belli Turcici motibus, summe necessarium esse iudicavimus, ut maiori, quo fieri poterit numero, auctus Exercitus Christianus ad fluvium Dravum rursus constituatur; intuitu cuius avitam generositatem et virilem ac heroicam in perniciemque perfidi hostis illius Turcae semper promptum et alacrem animum Vestrum considerantes, intermittere nequivimus, quin ad renovandum hunc continuandumque iusti furoris impetum, ad intersurgendum videlicet iterum contra praedictum truculentum hostem vos denuo hortaremur et paterne admonemus, spe firma freti, quod promissionis Vestrae, quam in abducto nuper illic hybernante, et aliis Fidelibus nostris satis iam antea et ultra vires aggravatis, superinducto Milite Nostro Germanico nobis dedistis, ita et innatae heroicae Virtutis vestrae memores, praesentem adipiscendae gloriae occasionem, seposita omni cunctatione una Arma et ferrum prompte atque avide sitis arrepturi.

Unde vos hisce paterne requirendos esse duximus, serio etiam iisdem committentes: quatenus penes intimum Consiliarium nostrum et Camerarium inferiorisque Austriae Consilii Aulae Bellici Praesidem, Campi Mareschalum et constitutum Collonellum, Jacobum Comitem de Leszlie, pro gloria Gentis Vestrae cum Copiis Vestris, Armis aliisque ad belligerendum quam optime instructi, insurgere, praetactumque christianum exercitum numero milite augere, et ipsi operationibus consveta correspondentia mediante pro viribus ita assistere velit ac debeatis, ut conatus hostium non solum reprimi semper, sed ipse hostis etiam auxiliante Divino Numine coniuncta virtute vestra gloriose profligari valeat. Facturi estis in eo rem Officio suo congruam, defensionis Patriae proficuum, et praememoratae promissioni Vestrae conformem, vobis vero totique Christianitati summe gratam atque acceptam. De reliquo vobis Caesarea et Regia Gratia Nostra